Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0001-1

Do
Nr
Doa
L. 436.
H.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0002-6

Manuductio Aristotelica,

ad

LOCOS INVENTIONIS RHETORICÆ,

desumta

ex prælectionibus publicis,
in Universitate Jenensi
propositis,

Anno clɔ Iɔc XXXIII.

à

JOHANNE MICHAELE
DILHERRO, P. P.

NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS GEORGII ENDTERI.

An. *M DC XCIV.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0004-8

DE INVENTIONE.

1. NOtum eſt: finem Oratoris eſſe, perſuadere: quod quidē quin fiat benè dicendo, nemo dubitabit. Benè autem nemo dixerit; niſi res habeat, quibus auditores in ſuam pertrahat ſententiam. *Res igitur Oratori ſunt inveniendæ; inventæ diſponendæ; diſpoſitæ, verborum ſententiarumq; luminibus, exornandæ; exornatæ memoriter apteq; pronunciandæ.*

2. Apparet ergò: *Ad benè dicendum ejusq; artem, quatuor requiri: Inventionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, & Pronunciationem.* Addidére nonnulli *Memoriam*, ceu partem quintam; quam nos, cum Ariſtotele, veteribusque aliis, prætermittimus: quia, quæ juvant memoriam, ad diſtinctam artem pertinent, quæ vocatur μνημονευτικὴ, *Mnemonica:* quam profeſſus nuper fuit, in variis Europæ oris, Schenckelius qui-

dam, & nonnulli alii: quorum de hac re libelli ſunt conſulendi.

3. *Inventio*, eſt *excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſſam probabilem reddunt*: Cic. L. 1. de invent. Per res, veniunt nobis intelligenda argumenta: quorum interventu ſententiam noſtram ſtabiliamus, atq; alteri perſuadeamus. Definitur verò *argumentum, quòd ſi probabile inventum, ad faciendam fidem*: Cic. in Part. Orat. Vel: *ratio probationem præſtans; qua colligitur aliud per aliud; & quæ, quod eſt dubium, per id, quod dubium non eſt, confirmat*: Quint. L. 5. Inſtit. Orat. 10.

4. Antequam verò de argumentis laboremus inveniendis, quæſtionem adeſſe oportet: hoc eſt, aliquid, quod in controverſiam veniat: ſive, quod oratoris ſtudio ſit explicandum. Quæſtio illa penitùs eſt cognoſcenda, ejusque natura intimè perſpicienda: quò, quid ei proſit, quid obſit, rectè cognoſcamus.

5. Hinc ſcribit Cicero. 2. de Orat: *Equidem ſoleo dare operam, ut de ſua quisq; re me ipſe doceat; &, ut ne quis aliº adſit, quò liberiùs loquatur: & agere adverſarii cauſ-*

ſam;

ſam: ut ille agat ſuam: & quicquid de ſua re cogitarit, in medium proferat. Itaq; cum ille disceſſit, tres perſonas unus ſuſtineo, ſumma animi æquitate: meam, adverſarii, judicis: qui locus eſt talis, ut plus habeat adjumenti, quàm incommodi; hunc judico eſſe dicendum: ubi plus mali, quàm boni reperio; id totum abjudico, atq; rejicio.

6. *Ita adſequor; ut alio tempore cogitem, quid dicam; & alio dicam; quæ duo plerique ingenio freti ſimul faciunt; ſed certè iidem illi meliùs; aliquantò dicerent, ſi aliud ſumendum ſibi tempus ad cogitandum; aliud ad dicendum putarent.*

7. Idem eodem libro ſcribit: *Cùm, accepto cauſſæ genere & cognito, rem tractare cœpi; nihil prius conſtituo, quam quid ſit illud quò mihi referenda ſit omnis illa oratio, quæ ſit propria quæſtionis & judicii. Deinde illa duo diligentiſſimè conſidero; quorũ alterum commendationem habet noſtram, aut eorum, quos defendimus; alterum eſt accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos.*

8. *Ita ratio omnis dicendi, tribus ad perſuadendum rebus, eſt nixa: ut probemus, vera*

esse ea, quæ defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; & ut animos eorum, ad, quemcunq; caussa postulabit, motum vocemus. Hæc apud Cic. d. l.

9. Hæc omnia paulò post enucleatiùs intelligentur. De argumentis dictum est, quid sint, §. 3. dicendum jam, unde petantur. Petuntur nimirum ex Locis. *Loci* autem, Cicerone & Boëthio docentibus, *sunt notæ, quarum admonitu, quid de quaq; re probabiliter possit dici, potest inveniri.*

10. Hi Loci *vel sunt Rhetoricæ & Dialecticæ communes; vel tantùm proprii Rhetoricæ. Communes* sunt *triplices*, *Aut* enim constituunt essentiam subjecti & prædicati: ut Loci Generis, Speciei, Definitionis, Totius, Partis; & dicuntur *Loci interni.*

11. Aut non constituunt essentiam subjecti vel prædicati; naturali tamen vinculo cum aliquo eorum cohærent: ut Loci Accidentis, Proprii, Conjugatorum, Caussæ Efficientis, Finalis, Effectorum: & dicuntur *Loci conjuncti.*

12. Aut denique nullo naturali vinculo cohærent, cum partibus quæstionis, subjecto scilicet, & prædicato; & petuntur vel ex voce: ut Locus Notationis nominis;

vel

vel ex re; ut Locus Similum Comparatorum, Oppositorum; & vocatur *Loci disjuncti.* Qui Loci omnes producunt *argumenta artificialia*; utpote artis beneficio, ad quæstionem probandam, excogitata & inventa: cùm contrà *inartificialia* vocentur, quæ non nostra opera pariuntur; sed *extrinsecus sumuntur*: quorum, ab Aristotele quinque recensentur: *Leges, Testes, Pacta, Quæstiones, & Juramenta.* Cicero ea omnia, quæ sine arte parantur, & extrinsecus adsumuntur, appellat *Testimonia.*

De Locis, Dialecticæ & Rhetoricæ communibus.

1. QUanquam hi Loci, quos Dialecticæ & Rhetoricæ communes dixímus, ex Dialecticis peti possunt: tyronum tamen captui nos accommodantes, breviter & strictim eos percurremus.

2. In Loco Generis, occurrit hic Canon: *Quodcunq; prædicatur de genere, prædicatur etiã de specie, & individuo illius generis.* Ex hoc Loco argumentatur Paulus, 1. Tim. 1, 9. *Lex non est justis posita; sed injustis*: moxq; enumerat varias injustorũ species, videlicet:

inobſequentes, irreverentes, profanos, parricidas. Et Vultejus inde probat : *legitimatos per ſubſequens matrimonium non poſſe ſuccedere in feudo : quia de genere, b. e. naturalibus, prædicetur, quòd non ſuccedant : inter quos etiam ſint legitimati per ſubſequens matrimonium.*

3. Negativè, ex loco Generis, argumentamur, ſecundum hunc canonem : *A quocunq; removetur Genus, ab eodem removetur & quælibet ejus Species.* Ut : *nihil nos ſeparabit à charitate Dei ; nec tribulatio, nec anguſtia, nec fames, nec nuditas &c.* Rom. 8, 35.

4. In loco Speciei : *Cui tribuitur Species; eidem tribuitur & Genus.* Valet hic Canon *affirmativè*, non negativè. Ut : neceſſaria eſt Chriſtiano patientia : Ergò & fortitudo ; quia patientia eſt ſpecies fortitudinis. Non autem rectè procedo, ſi dicam : prædicamus Dei virtutem : Ergò & miſericordiam ; poſſemus enim etiam juſtitiam prædicare. Quippe *non licet argumentari à Genere ad certam & determinatam Speciem.*

5. In loco Definitionis : *Cui convenit Definitio ; Eidem convenit & Definitum.* Valet affirmativè, & negativè. Exemplum

eſto

esto illud Leonis serm. 1. de jejunio: *proximi nomine, non ii tantùm intelligendi sunt, qui nobis amicitia & propinquitate conjuncti sunt; sed omnes prorsus homines, cum quibus natura nobis comunis est, sive illi hostes, sive socii sint, sive liberi, sive servi. Ergò omnes hi diligendi.* Et Pauli ad Ebræos 5, 1. ubi probat, Christum esse nostrum pontificem; quia convenit ei definitio pontificis. *Est* enim *pontifex, qui, ex hominibus adsumtus, pro hominibus constituitur, in his, quæ ad Deum sunt: ut possit intercedere, & offerre dona, & victimas, pro peccatis.*

6. In loco Totius: *posito toto; ponuntur omnes ejus partes necessariæ.* Ut: Christus est verus homo. Ergò veram habet animam, verumque corpus. Job fuit justus. Ergò recessit à malo, & fecit bonum; credidit, & benè egit: Jobi, 1, 1. Sed nos varias & intricatas Totius divisiones ad Logicos & Metaphysicos remittimus.

7. In loco partium: *positis omnibus partibus necessariis, ponitur totum.* Ut: si ascendero in cœlum, tu illic es; si lectum stravero in inferno, ædes; si habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me. Ps. 139, 7. Ergò es ubique.

8. In Loco Accidentis; quod vel est antecedens: ubi hic valet canon: *Sublato antecedente, tollitur consequens.* Ut: si filii non sumus. Ergò, etiam hæredes non sumus. Vel, si quis statuat, Judæos, ante extremum judicium, esse convertendos; & propterea ita argumentetur: Hodie judicium extremum non instat: quia Judæi nondum se adgregarunt ad fidem.

9. Vel consequens, ubi hic: *Posito consequente, ponitur antecedens.* Ut Matth 5, 3. *Beati pauperes spiritu: quia ipsorum est regnum cœlorum.* Damnatus est: Ergò, fidem in Christum, vel non habuit; vel non ad finem servavit.

10. In Loco Proprii: *Cui convenit proprium; eidem convenit illius proprii subjectum.* Ut: trahit ferrum. Ergò, est adamas. Vel: esse Regem seculorum, scrutari corda, scire, quid sit in homine, & omnes ejus sensus nosse; proprium est Dei. At hoc Christo competit. Ergò, est Deus.

11. In Loco Conjugatorum: *Cui unum conjugatorum convenit; eidem conveniunt & reliqua.* Ut: Si Filius vos liberat; verè

liberi

liberi estis. Johann. 8. Et: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ.* Et: si fortiter agere, est laudabiliter agere: Ergò, vir fortis est laude dignus. Et; injustus non est ignorans. Ergo, injustitia non est ignorantia.

12. In Loco Caussæ efficientis: *Posita caussa efficiente, & operante; ponitur effectum: & caussa efficiente non operante; non sequitur effectum.* Ut: Deus mittit Apostolos suos, Evangelium, toti mundo, annunciantes. Ergò, Evangelium toti mundo annunciatur. Et: Apostoli, pœnitentiam Judæis prædicantes, ab accessu gentilium tunc sunt prohibiti. Ergò, prædicatio pœnitentiæ ad gentiles tunc non pervenit.

13. In Loco Caussæ finalis: *Posito fine; ponuntur media ad finem: at: Sublato fine; non necessariò tolluntur media.* Ut: cupis videre Deum. Ergò, debes esse mundo corde. Omnes nostræ actiones debent ad Dei gloriam dirigi: Ergò, omne etiam verbum otiosum à nobis debeat exulare. Quæritur apud Politicos & Jurisconsultos: *an filiº impensas*

studiorum gratia, à patre sibi suppeditatas, ac benè collocatas, teneatur refundere? negant Hartmannus Pistorius, Wesenbecius, Cujacius, Arumæus, alii: & militat noster hic Canon: *qui vult finem; vult & media.* Atqui pater voluit, filium proficisci in Academiam, & bonas literas addiscere. Ergò & sumtus, qui media, & sine quibus in Academiis esse non possumus, suppeditare debuit. Quoad posterius Canonis membrũ: negata doctrina; non necessariò tolluntur libri.

14. In loco Effecti: *posito effecto, necessariò ponitur & caussa.* Ut: agnoscit peccata, & pœnitet eum delictorum: audivit igitur doctrinam legis. Sentit: ergò habet animam. Domus est exstructa: ergò est, vel fuit Architectus. Homo est corruptioni obnoxius: ex materia igitur fragili compactus est. Omnia, ut vestimentum, veterascent: ex corruptibili itaque materia constant. Ponit animam suam, pro ovibus suis: bonus itaque est pastor.

15. In loco à Notatione nominis: *de quo dicitur etymon nominis; de eodem dici debet nomen, seu res, quæ tali nomine significatur.* Vel: *de quo dicitur nomen; de eodem*

dici-

dicitur & res nominis. Ut: est feudum: ergò, subest fides. Est mutuum: ergò, est ex meo tuum. Esau, de Jacobo fratre suo, genere sermonis correctorio, conquerens, ait: nonné verè vocatum est nomen ejus *Jacob?* nam *supplantavit* me jam duabus vicibus. Primò genituram meam abstulit: & ecce! nunc quoque accipit benedictionem meam. Alludit Esau ad ἔτυμον nominis *Jacob*, quod derivatur ab Ebræa voce *Akabh*, seduxit, decepit, supplantavit, conculcavit. Et hoc vult dicere: dicitur frater meus Jacob; quod significat supplantatorem: & verè quoque me supplantavit. Et capite 27, 36. Genes. refertur, inditum fuisse Jacobo hoc nomen: quod, nascens, plantam Esavi, qui ipsum in partu præcessit, apprehendent. Ebr. 7. Christus est *Melchizedeck*, & rex *Salem*: est ergò *rex justitiæ* & *pacis*. Est *consul*: ergò *consulit* Reip. Est *merula*: ergò volat, *mera* vel sola.

16. In loco Similium: *similium sunt similia consequentia.* Ut: Intellectus est similis oculo: ergò, quemadmodum oculus regit totum corpus: ita intellectus regit totam animam. Animus hominis est

ſimilis vaſi, vel lagenæ anguſti orificii. Quemadmodum autem, ſi quid in vas, vel lagenam ejusmodi, volueris infundere, ſenſim illud debet inſtillari: ita & animus ſuperfuſam informationis copiam reſpuit; quam ſenſim admittit. Ingratus eſt ſimilis lagenæ: beneficia infuſa facilè admittit: reddit verò eadem, multo cum murmure, & querelis. Tyrannus eſt quaſi vomica: quia, ut hæc creſcit phthiſi corporis; ita ille diſpendio Reipub. Quemadmodum porrò illa exſcinditur: ita & hic tandem exſcinditur.

17. In Loco Oppoſitorum: *Unum immediatè oppoſitorum tollit alterum.* Ut: *Chriſtus ejecit dæmonia, digito*, præſidio, ſeu virtute *Dei.* Igitur non ejecit dæmonia, præſidio Beelzebub, Luc. 11. Si Mammonæ ſervis; non potes ſervire Deo: Matth. 6. Gratis ſalvati eſtis. Ergò, non ex operibus: Epheſ. 5. Benedictus eſt, & ſempiterna perfuitur gloria. Ergò, non ivit in ignem æternum. Eſt liber. Ergò, non eſt ſervus. Eſt ſui juris. Ergò, non alieni.

18. In Loco Comparatorum : *Si id ineſt, quod minus videtur ineſſe; etiam illud inerit, quod magis videtur ineſſe.* Ut: Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed, pro nobis omnibus, tradidit illum: quî fieri poteſt, ut non, & cum eodem, omnia nobis donet?* Johann. 15, 29. *Non eſt ſervus major Domino: ſi perſecuti ſunt me; & vos perſequentur:* 2. Pet. 2 4. *Si Deus angelis, qui peccaverant, non pepercit: multò minùs parcet hominibus in peccata lapſis, & ſubindè relabentibus.* Et Matth. 12, 11. *Quis erit ex vobis, qui habebit ovem unam; & ſi ea inciderit ſabbatis in foveam, nonne apprehendet eam, & eriget? quantò autem præſtantior homo ove? licet igitur ſabbatis eum beneficiis afficere.* Et : *Si id non ineſt, quod magis ineſſe videtur: Ergò, etiam illud, quod minus ineſſe videtur, non ineſt.* Ut 1. Joh. 4, 20. *Si fratrem ſuum, quem vidit, non diligit; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Vel ex Theocrito : Si capellam portare nequis : quomodo portabis bovem?

19. Atque hi ſunt illi *Loci*, Dialecticæ & Rhetoricæ communes quos diximus § 10. cap. præc. *in* quorum *canonibus multa ſæpè feculenta occurrunt, & apodicticam haud pariunt demonſtrationem; ſed aliquam tantùm probabilitatem gignunt: quam Orator, concinno elocutionis apparatu, ita pingat & exornet, ut, quod robur nequit, præſtet ſpleudor.* Potuiſſent canones adferri multò plures: ſed ex magno fonte pitiſſare voluimus, non nos ingurgitare.

De Cauſſarum generibus, & ſimul locis Rhetoricæ propriis, ſingulis tamen cauſſarum generibus communibus.

1. ATque hactenus de locis Rhetoricæ & Dialecticæ communibus: videndi jam ſunt illi, qui proprii tantùm ſunt Rhetoricæ. *Loci* hi, *Rhetoricæ proprii, vel ſunt generales*, ut per omnia vagentur cauſſarum genera: *vel ſpeciales*, ut ad ſingula cauſſarum genera propriè reſtringantur.

2. *At cauſſarum quidem genera nihil ſunt aliud*, quàm veluti prædicamenta Oratoris, ſive

ſive claſſes; in quas diſtributa eſt omnis varietas rerum, de quibus dicendum eſt: ut faciliùs in quibuslibet materiis, & ratio ac via explicandi, & argumenta, ad rem facientia, poſſint inveniri.

3. Rhetorica ſanè negotia, vel res, de quibus eſt perorandum, nobis non offert; ſed tempora potiùs & loca, in quibus eſt nobis vivendum, res nobis eas objiciunt; quemadmodum litigator defert negotium ad cauſſidicum. Hoc autem nobis præſtat Rhetoricæ cognitio, & cumprimis generum cauſſarum conſideratio: ut, ſi ſciamus, quo de nobis agendum, quomodo tractandum ſit, perſpiciamus. *Invento* enim *cauſſæ genere, ſtatim loci, ad dicendum idonei, nobis occurrunt.*

4. Quin &, *cognito cauſſæ genere, confeſtim de orationis fine poſſumus judicare, &, quænam ſit præcipua intentio, quodnam rei caput & ſumma, quis ſcopus, videre.* Quantum a. in eo ſit inſtar ſitum, ut ſcopum orationis calleamus; non opus eſt multis edisſerere. Arcum enim aliquis intendat, absque ſcopo; quam inde hauriet utilitatem? tela emittentem intuearis, & metam telorum igno-

ignores; quam capies inde voluptatem?

5. Ex quibus facilè apparet: *duabus potissimùm de caussis, caussarum esse genera inventa: primò*, ut finem, scopum & intentionem cujusque orationis cognoscamus: *deinde*, ut Locos, è quibus argumenta probandi sunt desumenda, ob oculos habeamus: quos, ceu Theseus filum Ariadnes, prehendamus & sequamur.

6. Aristoteles, Cicero, Quintilianus, Dionysius Halicarnassensis, & veteres alii quàm plurimi, tria fecerunt Caussarum Genera: & συμβουλευτικὸν, Deliberativum: Ἐπιδεικτικὸν, Demonstrativum: & δικαστικὸν, Judiciale, tradiderunt. Probavit numerum hunc ternarium Stagirita, *ex auditorum diversitate*. Ita enim progreditur.

7. Is, ad quem pertinet Oratio, hoc est, auditor, vel est tantùm Ascultatator, Aristoteli θεωρὸς, Ciceroni Laudum spectator; vel disceptator, & rei sententiaeq; moderator, κριτής. Et statuit quidem hic disceptator, aut de præteritis, ut Judex, δικαστὴς; aut de futuris, ut Senator.

8. Sic ergò tria sunt Genera Caussarum:

Judicii, Deliberationis, Exornationis. Exornatio autem, quæ laudationibus præsertim valet, proprium jam habet ex eo nomen: dicitur aliàs Genus Demonstrativum.

9. Porrò etiam numerum suum probat *ex fine.* Vel enim est auscultatoris delectatio: ut in Genere Demonstrativo: vel Consultantis spes, aut metus; ut in Genere Deliberativo: spes in suasione; metus in dissuasione: vel Judicis clementia, aut sævitia; ut in Genere Judiciali: clementia in defensione; sævitia in accusatione.

10. Probari potest triplex hic Finis ulteriùs: quia vel tendit ad utilitatem, ut evenit in Suasionibus: vel ad honestatem; ut in laudationibus: vel ad justitiam, & æquitatem: ut in Defensionibus.

11. Evincitur tandem *ex temporis triplicitate.* Vel enim Orator versatur circa tempus præteritum, vel circa futurum, vel circa præsens. Circa *præteritum* occupatur Genus Judiciale; quod, positum in judicio, habet in se accusationem, & defensionem: quæ locum non habet, nisi in iis, quæ jam facta sunt: circa *futurum*, Deliberatio.

Deli-

Deliberamus enim de rebus adhuc incertis, & quæ in nostra sunt potestate positæ: quales sunt futuræ.

12. Demonstrativum, circa *præsens*. Neque enim quenquam laudamus, aut extollimus, quòd virtute præditus fuerit, & ab ea postmodò desciverit; sed quòd eam etiamnum amplectatur. Et quanquam aliquando defunctos quoque commendamus; proponimus tamen eosdem, ut præsentes: quòd, cùm omnia mutationi & interitui sint obnoxia, sola virtus neque senium, neque mortem admittat, sed clara æternaque habeatur.

13. Tot, neque plura caussarum genera Veteres nobis tradiderunt. Communis verò Germaniæ præceptor Philippus addendum censuit genus quartum, *Didascalicum*. Etsi enim Logicæ proprium est, docere: tamen, prout jam nos utimur Rhetorica, Oratori quoque id muneris nonnunquam incumbit: qui quidem illud & copiosiùs exsequitur, & splendidiùs

14. Moverunt itaq; Philippum *caussæ duæ*, quamobrem reliquis hoc adjungeret: *prima* est, quod usum haberet non in Ec-

clesia

clesia solùm, sed in aliarum quoque rerum explicatione amplissimum: quia methodus ejus magnam cuivis materiæ lucem affundit: *secunda*, quod loci generis Didascalici multum adminiculi reliquis conferrent caussarum generibus, & essent quasi earum vestibulum.

15. Percurremus locos inventionis, singulis caussarum generibus communes, qui sunt: *possibile & impossibile; magnum & parvum.* Et *possibile* quidem ac *impossibile* vel ostendimus ratione *præteriti*, quid jam factum, aut non factum; vel ratione *præsentis*, fieri posse, aut non posse; aut ratione *futuri*, fore, aut non fore.

16. Factum aliquid esse, probari solet ex his canonibus: Si id, quod minùs credibile est, factum fuit, etiam quod magis credibile. Arist. 1. Rhet. 15. Ut: *qui mentiri aut fallere insverit patrem, aut audebit; quantò magis audebit cæteros:* Ter. Adelph. A. 1. sc. 1.

17. *Si id factum, quod fieri solet posterius; credibile est, factum etiam fuisse, quod fieri solet prius.* Ut: Cain interfecit Abelem: ergò ipsi antea fuit infensus; invidit, aut suc-

ſuccenſuit ipſi, aut cum ipſo contendit Cain. Qualem quidem contentionem, in Targum Jonathanis, ſive Paraphraſi Chaldaica, ad. v. 8. c. 4. Gen. invenimus, huc, ſi „ non tædet, conferendam. Et accidit, „ cùm egreſſi eſſent ambo foràs; reſpondit „ Cain, & dixit Habeli: agnoſco ego, vel „ intelligo; quòd per miſericordias crea- „ tus ſit mundus: at, non juxta fructus „ operum bonorum, ille gubernatur; ſed „ acceptio perſonarum eſt in judicio Divi- „ næ Providentiæ: propterea quod recepta „ fuit oblatio tua; ſed mea oblatio abs me „ non ſuſcepta eſt cum beneplacito. Re- „ ſpondit Habel, & dixit Caino: per mi- „ ſerationes creatus eſt mundus, & juxta „ fructus operum bonorum utique guber- „ natur; nec eſt acceptio perſonarum, in „ judicio: ſed quia fuerunt fructus meo- „ rum operum meliores, & promtiores „ tuis, ſuſcepta fuit gratiosè oblatio mea. „ Reſpondit Cain, & dixit Habeli: non „ eſt judicium, neque judex, nec ſeculum „ aliud, nec dabitur merces bona juſtis, „ nec vindicabitur ab impiis. Reſpondit „ Habel, & dixit: eſt judicium, & eſt ju- „ dex, & eſt ſeculum aliud, atque dabitur

mer-

merces bona justis, & vindicabitur ab im- "
piis. Ita super negotiis hujusmodi verbo- "
rum rixabantur, in superficie campi. Sur- "
rexit ergò Cain super Habel, fratrem "
suum, & inflixit lapidem in frontem "
ejus, & interfecit eum. "

18. *Quod quis voluit & potuit; dubium non est, quin fecerit.* Ut: Nero Imperator sæpiùs exoptâsse scribitur, ut cives omnes unum collum haberent: quò, ictu uno, omnes necare posset. Sæviendi hinc facilè apparet *voluntas*: ad quam, crescente ejus subinde imperio & potentia, accessit *facultas*. Quis jam dubitet, monstrum illud hominis, & lutum sanguine maceratum, in sanguinem humanum crudelissimè fuisse grassatum? *Voluisse* autem quis putatur; cùm animi adfectibus, irâ, odio, amore, cupiditate, &c. impellitur: *potuisse*, cùm commodæ sese offerunt circumstantiæ, ac nullum intervenit impedimentum. Ut: Pamphilus amavit Glycerium, quæ & ipsa illius amorem non fuit adversata: remotis noctu arbitris, convenére in cubiculo: quis ambigat, Pamphilum id fecisse, quod Propertius cum sua Cynthia, Catullus cum Lesbia solebat?

19. Aliud nobis exemplum ſubminiſtrare poteſt Hiſtoria Joſephi. Ut: Si quid Joſephus querelarum, de moribus fratrum ſuorum, audiret, vicinosque, offenſos ſceleribus eorum, animadverteret; patri id renunciabat. Odium inde fratres in ipſum concipiebant crudele & implacabile: nec poterant invidi conceptum odium diſſimulare; quin aſperitate verborum, quoties cum eo loquendum eſſet, animi morbum proderent. Malebant divum, quàm vivum: & nihil habebant prius aut antiquius, quàm ut numero viventium eum exturbarent, ac, ſi fieri poſſet, etiam infra mortuos amandarent. Cumque patris, ſenectute gravati, greges, in locis deſertis, & à domo patria remotioribus, aliquando paſcerent: de improviſo Joſephus intervenit; quem cum verbis excepiſſent amarulentiſſimis: veriſimile eſt, lucem quoque hanc, quæ communis eſt, eripuiſſe, aut damnum aliud grave conciliaſſe.

20. Fieri aliquid poſſe, probabile redditur, ex iſtis: *Fieri hoc poteſt, cujus contrarium aut jam eſt, aut eſſe poteſt.* Ubi tamen hoc eſt obſervaudum, quod *in contrariis*

trariis alterum difficilius, alterum facilius; alterum præstantius, alterũ deterius. Quod si jam difficilius & præstantius fieri potest; fieri etiam poterit facilius & deterius. Et hæc quidem observatio est *Majoragii, in Comment. super secundum Rhet. Aristotelis.* Ut: exstruere has ædes potui; ergò & destruere possum. Salvare Deus animam potest; ergò & perdere. Condere Deus mundum potuit; ergò & eundem abolere potest. Acquirere has fortunas & facultates potuit; poterit ergò & dilapidare & consumere.

21. *Si simile fieri potest; etiam simile.* Vel: *id fieri posse judicatur, cujus, quod simile est, fieri potest.* Ut: si quis domi bonus est paterfamilias; etiam publicè bonus erit Magistratus: quia, quod domi est, in familia, pater; id in Rep. est Magistratus. Aut si Medicus ægroto mederi potest faciliùs, si accuratam morbi habeat cognitionem: etiam Politicus multùm proderit labanti Reip. si nævos ejus & vitia probè habeat perspecta. Unde *Galenus*: non est mirandum, complures tantum in Medicinæ operibus aberrare, quantum in cogni-

tione falluntur. Et *Polybius*: si quis censet, aliud magis proprium esse boni Ducis officium, quàm hostium Imperatoris ingenium naturamq; nôsse; errat, imò insanit. Et egregius Atheniensium Dux, *Chabrias*, in ore habebat: eum optimè Ducis munere posse fungi, qui res hostium quàm maximè cognitas haberet.

22. Aliud, ex eadem collocatione, adferemus exemplum. Ut, quamvis exiguis diætæ erroribus, quotidianis tamen, non solùm vitrea, sed interdum etiam ferrea potest labefactari valetudo: ita, si quis salvam velit Rempublicã, cavendum, ne quicquam omninò contra Leges admittatur. Nam id ni fiat; paulatim & latenter irrepunt rerum omnium depravationes: ut necesse sit, illam funditùs tandem perire Rempublicam.

23. *Si difficilius fieri potest, potest etiam fieri facilius.* Ut: si quis elegantem & ornatam potest scribere Orationem; poterit etiam simpliciter scribere Orationem: quia difficilius est eleganter, quàm utcunq; scribere. Signatè *Aristoteles*, 2. Rhet. cap. 19. εἰ ἀνδρεῖον, ἢ καλὸν γενέσθαι δυνατόν, καὶ ὅλως γενέσθαι δυνατόν, i. e. si virtute præditum,

ditum, vel pulchrum, fieri poteſt; etiam omninò fieri poteſt. Ut: Si potuerunt Romani Hannibalem vincere: etiam Mithridatem, imò ſimpliciter, vincere poterunt. Huc pertinet exemplum Cornificii, Lib. 4. ad Herenn. Quos ex collibus dejicimus; cum his in campo metuimus dimicare? qui, cùm plures erant, paucis nobis æquari non potuerunt: hi, poſtquam pauciores ſunt, metuimus, ne ſint ſuperiores? Huc quoq; digitum intendit Æneas, apud Virg. lib. 1. Æn. cùm ſocios itineris ita alloquitur:

O Socii! (neque enim ignari ſumus antè (nem.
malorum)
O paſſi graviora! dabit Deus his quoq; ſi-
Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; ſonantes
Accêſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa
Experti; revocate animos, mœſtumq; ti-
morem
Mittite: Forſan & hæc olim meminiſſe ju- (rum,
vabit.
Per varios caſus, per tot diſcrimina re-
Tendimus in Latiñ, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt: illic fas regna reſurgere Trojæ.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

24 *Cujus fieri poteſt principium, illius etiam fieri poteſt finis.* Vel: *cujus principium*

fuisse probare possumus; idem etiā finem habere, confirmare in proclivi est. Quæ enim fieri non possunt; nec gignuntur unquam, nec gigni incipiunt. Videtur canon hic magis loqui de rebus naturalibus, quàm moralibus, aut artificialibus: vel certè, si de moralibus etiā & artificialibus intelligendus; intelligi debet de viro prudente, qui nihil susceperit, supra vires & facultates suas positum. Exemplum esto: Si est possibile, aliquem fieri puerū; fieri etiam potest, ut sit senex. Vel: si fundamentū exstrui potest, etiam domus. Vel: si Darius ab Alexandro vinci cœptus est; prorsus quoque debellari ab eo potest.

25. *Cujus finis esse potest, ejus etiam principium potest.* Vel: *quod finem habere potest, idem initium quoq; habet.* Cuncta enim, quæ constant, à principio aliquo ducuntur. Ut: si conceditur, aliquem doctum esse; negari non potest, eundem bonis literis incubuisse: sine quibus doctrina non paratur. Phthisi laboravit: ergò corruptione pulmonum fuit infestatus.

26. *Quorum cupiditas nobis est à natura insita, ea sunt possibilia.* Ratio: quia aliàs illud à natura nobis inditum desiderium esset frustrà; cùm tamen natura nihil faciat frustrà:

ſtrà : nemo ſana mente præditus appetat illa, quæ conſequi ſe non poſſe videt. Et hic Locus utiliſſimus eſt in conſiliis dandis: cùm auctores eſſe volumus aliis, ut vel liberalia ſtudia tractent, vel armacapeſſant, vel certo ſtudiorum generi ſeſe dedant, aut etiam eosdem dehortari, ne ſuſcipiant & tractent illa, à quibus à natura alieni eſſe videntur. Quo pertinent verſiculi Poëtæ:

Tu nihil invita dices faciesvé Minerva:
Naturam expellas furca, tamen usq; recurret.

Præclarè etiam dixit Socrates: *duas eſſe res, quæ eruditionem pariant; amorem ſeu cupiditatem, & ſtudium.* Et Plutarchus, ſolertiſſimus ingeniorum formator, inter ſtudioſi requiſita, principem tribuit locum τῇ φύσεϊ, naturæ: ſecundum μαθήσεϊ, doctrinæ: tertium ἀσκήσεϊ, uſui, ſeu exercitationi. Unde graviter parentes illi peccant, qui ad Facultates eas liberos ſuos cogunt, à quibus illos alienos eſſe, & abhorrere prorſus, animadvertunt. Quid hoc aliud eſt, quàm invitos canes venatum ducere?

27. *Quæ arte ſunt & præceptis tradita, illa quoq; fieri poſſunt.* Ratio: quia artes

propterea ſunt inventæ, ut, quæ per ſe ſunt obſcura & difficilia, methodo facili comparentur. Ita ἀδύνατον non eſt, Oratorem aliquem fieri, eleganter & ornatè ſcribere; quia ars illa certis præceptis eſt comprehenſa. Et licet Jus Civile ſit longè lateque diffuſum, atq; difficile, tamen diſci poteſt: quia eſt certis præceptis traditum. Et hic quoque Locus magnum uſum habet, cùm difficultatem tollere volumus, quæ in Scientiis parandis ſeſe oſtendit, & qua multi deterrentur, quò minus ad ſolidæ doctrinæ faſtigium conſcendant.

28. *Quæ in eorum ſunt manu, quibus vel imperare, vel perſuadere poſſumᵒ; ea poſſunt contingere.* Ut: Dominus, cùm ſervo imperat, poteſt conſequi, quod vult: quia cogendi poteſtatem habet. Et Magiſtratus abſolutus animum abjicere non debet, etiã in arduis negotiis imperandis: quia poteſt in ordinem ſubditos ſuos redigere, & illis mandare. Ita amicus poteſt voti ſui compos fieri: quia perſuadendi facultatem habet. Eſt quoque hujus Loci magna utilitas, cùm oſtendere volumus, poſſe aliquid fieri; cùm cogere poſſimus alios; aut

impe-

impetrare quid, vel benevolentia, vel precibus, vel donis. Hinc illud proverbium: *Amicorum preces cogendi vim habent.* Et Alexandri Magni pater, Philippus, nullam arcem tàm esse probè munitam, dixit, quin capi possit; si in eam ascendere possit asinus onustus auro: quod certè ingens habet ad persuadendum robur.

29. *Quorum partes fieri possunt, eorum etiam totum fieri potest.* Ratio: Quia totum ex partibus constat, & nihil est aliud, nisi partes simul sumtæ. Ut: Si fieri potest, ut quis discat doctrinam de morib², de naturæ obscuritate; de transcendentibus, eorumque affectionibus, & differendi ratione &c. Philosophiam quoque discere potest. Aristoteles profert exemplum de sutore: si obstragulum, ligulam & soleam facere potest; calceum quoque facere poterit. Habet Locus hic usum ad excitandos homines, ad constantiam & continuationem in negotiis suis: qui sæpè benè incipiunt, sed inchoata non absolvunt.

30. *Si unum relatorum potest fieri, potest fieri & alterum.* Ut: si aliquis potest esse Dominus; potest etiam habere servum:

& contrà: si quis potest habere servum; potest etiam esse Dominus.

31. *Quod sine labore & arti fieri potest; illud etiã arte adhibita, & quidẽ melius atq; facilius, fieri poterit.* Quia ars naturam vel imitatur, vel corrigit, vel perficit; etiam actiones ipsas plurimùm juvat atq; promovet. Confirmat hoc Aristoteles ab autoritate Agathonis, veteris Poëtæ Græci, qui dicebat: artem à fortuna, & fortunam vicissim ab arte diligi; multa quoq; sæpè casu & fortuna fieri, sed tamen ab arte juvari. Habet hic quoq; Locus non exiguũ usum in consiliis dandis; cùm autores esse volumus aliis, ut certæ alicui Facultati sese dedant: e. g aliquis à natura disertè loquitur; excitandus ergò ad eloquentiæ est studia: si enim diligentiam & præcepta adhibuerit; natura, arte adjuta, longè magis sese exeret.

32. *Quod effici potest vel ab inferioribus opibus & potentia, vel etiam minùs prudentibus ac doctis; illud quoq; à superioribus & prudentiorib° poterit effici.* Aristoteles ejusmodi habet exemplum. Si Eutynus, homo nullius ingenii, quarta, quod dicitur, luna natus, discere potuit Rhetoricam; discere etiam poterit Isocrates, præstanti præditus inge-

ingenio. Erit & hujus Loci usus : cùm exemplis inferiorum excitare ignavos volumus, & somnolentos.

33. *Futurum aliquid esse, aut non esse, eodemmodo probari potest, quo probari solet, factum aliquid esse, aut non factum. Quod* enim *non voluntas tantùm nostra suadet, verùm etiam facultas efficiendi penes nos est, futurum esse creditur.* Item, *quod ira, odium, amor jubent; futurum est, si vires & potentia nobis suppeditentur. Futura* deniqúe credimus, *quorũ jam circumstantiæ antecesserunt, quæ facta istiusmodi antecedere solent;* convicia, rixæ, temulentia: ad quæ vulnera cædesq; plerumq; subsequi solent. Ut: Symbolum dedi cum consalinis meis, hanc vesperam hilarem sumturus: accedebam. Herculeos sese, in evacuandis vitris, præstabant, & jucundissimè invicem vivebant; imò sacrosanctum amicitiæ fœdus, quasi præsente feciali, ferruminabant. Primus inquit: ego vocor Johannes Leporinus: faciam, quæ tibi grata fore cognovero; quæ molesta, fugiam & aversabor. Alter Pyladæ suo alterum se præstiturus Orestem reponit: Ecce! mihi nomen est Andreæ Bovillo: neutiquam certè ego committam,

ut tuo me ſuperes amore: quicquid mihi es pollicitus, en! & ego polliceor, me omninò facturum.

Per ſolis radios, Tarpejaq; fulmina juro,
Et Martis frameam, & Cyrrhæi ſpicula (læ,
vatis:
Per calamos venatricis pharetrasq; puel-
Perq; tuum, pater Ægei, Neptune, triden-
tem: (nervæ, &
Addit & Herculeos arcus, haſtamq; Mi-
Quicquid habent telorum armamentaria
cœli.

Dextra dextræ jungitur, ligulæ expediuntur, quæ utriusque manicis inducantur, & amicitia initur, nullis unquam ſeculis diſſolvenda. Sed, quàm *(labra!*

Multa cadunt inter calicem, ſupremaq;

Vix enim ſemihorulæ ſpatium abierat, cùm alter alterum, verbo temerè extra dentes proſiliente, adeò offenderet; ut hominem iſtum diris devoveret, conviciis inſectaretur, & quaſi furore percitus cantharum apprehenderet, caput ipſius probè dedolaturus, niſi quidam alii, paulò magis ſobrii, turpe illud pecus removiſſent. Tùm verò ego ſecedebam. Autumo, turbulenta & cruenta hanc Comœdiam Cataſtrophe finitam,

& Py-

& Pyladeos illos amicos colaphis egregiè concertasse. Hæc enim horum præludiorum solet esse pausa.

34. Vidimus *possibile, & impossibile*. Jam sequitur *magnum, & parvum*, vel comparatio bonorum; unde dignoscere licebit, quid magis minusve sit honestum, utile aut æquum. Ubi primus locus est: *Bona plura uno, aut paucioribus, sunt præstantiora*. Ut: si quis multas tenet linguas, longè illud est præstantius, quàm si vernaculam saltem calleat. Sed observandum hîc, quod monet Aristoteles: bona illa debere esse συναριθμήσιμα, connumerata, & unius generis: aliàs enim Locus ille fallit; cùm diversi generis bona adferuntur. Ut: divitiæ & honores sunt plura bona; at non interim præferuntur virtuti. Commiscentur enim hîc & confunduntur bona diversi generis: nempe Bona fortunæ, ut sunt divitiæ, & honores, & Bona animi, ut virtus.

35. Secundus Locus: *Si genus generi simpliciter præfertur; etiam, quod maximum est in illo genere, maximo alterius generis anteponitur*. Ut: Si Jurisprudentiæ Theologia præfertur: etiam Theologus maximus maximum superabit Jurisconsultum.

36. Tertius Locus: *Quæ majora bona efficiunt, illa sunt præstantiora.* Ratio: Quia de effectu ex caussa efficiente judicatur. Sic pro Muræna concludit Cicero: Murænam Imperatorem (bellicum) esse anteponendum Sulpitio Jurisconsulto; quia Imperator præstantiora bona, quàm Jurisconsultus, efficit. Sic probare quis posset, etiam Medicũ Jurisconsulto præferendum: quia Jurisconsultus tantùm versetur circa bona externa, quæ ad sustentationẽ requiruntur: cùm Medicus circa ipsam corporis sanitatẽ versetur.

37. Quartus Locus: *Cujus caussa efficiens præstantior, illud ipsum quoq; præstantius.* Ut M. Marcelli restitutio est melior omnibus Cæsaris victoriis: quia has fortuna, illam verò virtus Cæsaris promovit.

38. Quintus Locus: *Quæ per se expetuntur, præstantiora sunt iis, quæ expetuntur propter aliud.* Usurpatus est hic Canon à Philosophis & Theologis frequentissimè. Legimus eundem apud Severinũ Boëthium L. 3. de Consol. Philosophiæ, his verbis: *cujus caussa quid expetitur, id maximè videtur optari.* Apud Platonem in Gorgia, & apud Stobæum serm. 151. ἐάν τις πεφάτη ἕνεκα

ᾧ, ὁ τοῦτο βούλεται, ὃ πράττει, ἀλλ' ἐκεῖνο, οὗ ἕνεκα πράττει; i. e. *si quis quid facit, alicujus rei gratia, non hoc cupit, quod facit, sed potiùs illud, cujus rei gratia facit.* Ut: si quis, sanitatis caussa, velit equitare; non tàm equitandi motum desiderat, quàm sanitatis effectum. Ita cùm Deus animæ caussa, quam sc. ad sui similitudinem formaturus erat, carnem, vel limosum & luteum corpus, tanquam vasculum aut domicilium, quo posset illa contineri ac recipi, finxisset: ea re satis manifestum fecit, pretiosiorem sibi & chariorem esse, humano corpore, animam. Quod exemplum habet Petr. Faber Tholosanus L. 3. semest. c. 9. Virtus melior est divitiis; quia divitiæ à viro bono propterea expetuntur, ut virtutem eò splendidiùs possit exercere. Pax quoque bello melior est; quia bellum propterea geritur, ut pacem consequamur.

39. Sextus Locus: *Quod sine altero esse potest, præstantius eo est, quod altero carere non potest.* Ut: prudentia melior est reliquis virtutibus; quia virtus planè nulla, absque prudentia, potest consistere. Sic quoq; Justitia est melior fortitudine: quia si omne

essent justi, fortitudine opus non haberemus.

40. Septimus Locus: *Quod rei alicujus caussa est, aut principium; illud præferendum ei, quod a principio alio originem ducit.* Ut: peæstantior est discipulo Præceptor; quia caussa ille est & principium eruditionis. Præferendi sunt liberis Parentes; quia sunt in caussa, ut liberi existant.

41. Octavus Locus: *Duabus propositis caussis, quæ meliorem habet effectum, illa ipsa quoq; alteri anteponenda.* E. g. Disputatur de Philosophia Theoretica & Practica: utra alteri præferenda? adfirmatur, quòd Theoretica, præ ista, principatum obtineat, & ratio: quia mentem hominis ita erudit & informat, ut cognitione rerum ad Deum accedat, eiqúe quodammodò adsimiletur: cùm contrà Practica Philosophia vitiosis adfectibus tantùm modum ponat, & medelam adhibeat; quod in Deo locum non habet.

42. Nonus Locus: *Quæ sunt rariora, copiosis & vulgaribus anteponenda.* Ratio: quia κτῆσις, sive possessio, vel acquirendi ratio, est difficilior. Ita Eloquentia magnifacien-

facienda, quia pauci Oratores, & verè eloquentes: ut Cicero, in Libro de claris Oratoribus, ostendit. Et laudabilius est, contra Turcam militare, quàm contra alios; quia non cujusvis est militis, vires suas in istum periclitari & exerere, sed solùm ejus, qui

Virtutis veræ custos rigidusq; satelles.

| 43. Decimus Locus: Hic præcedenti contrarius videtur; & propterea denuò notandum: regulas hasce saltem esse probabiles, & uberem, in utramq; partē disputandi, præbere materiam; quales Aristoteles, & veteres alii, habuere quàm plurimas, ut inexercitati ad disputandum adsuefierent. Habet autem ita: *Quorum χρῆσις, sive usus est frequentior, ea rariorib° præferenda.* Inquit enim Aristoteles: ἡ χρῆσις ὑπερέχει, *usus superat.* Et, quod sæpè nobis cōmodum adfert, superat id, quod rarò aut nunquam utile est. Unde dicitur apud Pindarum: ἄριστον μὲν ὕδωρ, *optimum quid est aqua*, propter utilitates sc. magnas & perfrequentes, quas præbet. *Propertius* quidē, in elegia quadam, *vilem* dixit *aquam.* Et *Horatius* quoq;, in aliqua Satyrarum, *rerū vilissimam* vocavit: qui tamē ad copiam, non ad usum, respexerunt.

Plu-

Plutarchus ſanè in lib. V. Sympoſiacorum cap. 10. narrat, morem veterum fuiſſe, res communes, & quæ multis hominum uſibus inſervirent, divinas appellare, ut aquam, lucem: tellurem quoque eandem ob cauſam ipſos non rem tantùm Divinam, ſed Deam etiam appellaſſe. Quod obiter indicio nobis eſt: Ethnicos non Deos, vel Deas, quæ vulgò ita appellatas invenimus, exiſtimaſſe; ſed, ob aliquam tantummodò prærogativam, vel ſingularem effectum aut utilitatem, ejusmodi nominibus indigitaſſe. Diximus, hunc locum præcedenti contrarium videri; verè tamen non eſt: cùm prior loquatur de rarioribus κτήσεσι, ſeu poſſeſſione; hic noſter de frequentioribus χρήσεσι, ſeu utilitate.

44. Undecimus Locus: *Difficilia facilibus præferenda.* Ratio, quia difficilia ſunt rariora: rariora autem vulgaribus eſſe anteponenda, jam dictum nono Loco. Et rectè docet Ariſtoteles, in Topicis: *magis delectamur poſſeſſione rerum, quas nemo poteſt facilè acquirere.* Ope hujus Loci, virtutem divitiis magis eſſe expetendam, probamus: rara namque & difficilis paratu eſt:

est: quod satis celebri quoque Hesiodi carmine intelligitur, qui canit:

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
αὐτὴν, ἀθάνατοι. μακρὸς ἢ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· i. e. *ante virtutem verò sudorem Dii posuerunt immortales: longa verò atq; ardua via est ad ipsam, primumq; aspera.* Et Quintus Calaber scribit: celsissimus, & asper mons sanctæ virtutis, in quo ipsa stat, almæ vertici pedibus innitens, ardua & ad cœlum pertingens, circumq; circa omnes viæ, crebris interclusæ scopulis, facilem hominum accessum arcent: nam plurimi retrò cedunt, arduo itinere absterriti; & perpauci sursum, per sacram viam sudantes, ascendunt. Hæc ille. Sic videmus, tenaciores esse, & magis congestis incubare nummis, qui suis eos laboribus compararunt, quàm qui acquisiverunt hæreditate: quia major ibi, quàm hîc, est acquirendi difficultas.

45. Duodecimus Locus. Vicissim hic isti contrariari videtur: *Faciliora anteponenda difficilioribus*, 1. Rhet. 7. fiunt enim cum quadam voluptate; & cum nullo negotio

ea

ea consequi possumus: prout volumus & optamus, ita se habent. Neque quisquam est, quin idem, sine labore, quàm cum molestia, efficere malit. Usum habet Canon: quando agimus cum imperitis, qui plerumque difficultate rerum deterrentur, ut ab actionibus honestis resiliant; ubi ostendendum est, facilè à nobis aliquid fieri posse. Ita cùm difficultas objicitur in eruditione paranda, evincendum est, ad eam ἀκόνιτ posse perveniri; modò voluntas adsit constans, nec methodus certa negligatur. Non pugnant hi duo Canones. Quia prior loquitur de rebus jã acquisitis: & commodè usurpari potest in earum commendatione atq; laudatione. Posterior de rebus acquirendis: & locum habet cumprimis in suasionibus.

46. Tertius decimus Locus: *Cujus contrarium est majus, id ipsum quoq; majus: & cujus privatio deterior, illud ipsum quoq; alteri anteponendũ, cujus privatio tanta cum jactura non est conjuncta.* Ut intelligas, utrum duorum bonorum melius, specta etiã contraria eorum: *Cujus* enim *contrarium majus malũ est, id alteri bonitate præstabit.* Exemplũ accommodatum nobis suppeditabunt valetudo, & divitiæ: quæ duo bona sunt; quo-

rum

cum contraria ſunt morbus, & paupertas: majus autem malum eſt morbus corporis, quàm paupertas: præſtat igitur valetudo divitiis. Ita majus quoq; bonum id eſt, quo, ſi orbatus ſis, magis plectaris. E.g. Bona erunt viſus & auditus, quorum privationes vel orbitates, ſunt cæcitas & ſurditas: perſpicuum autem eſt, majus eſſe malum cæcitatẽ, quàm ſurditatem: quare majus bonum adſpectus eſt, ſive viſus; quàm auditus. Sic deterior eſt privatio æternæ ſalutis, quàm jactura facultatum harum *mundialium*. Ergò animæ & ſalutis cura divitiis & opibus anteponenda.

47. Quartus decim⁹ Locus. *Quorum artes ſunt præſtantiores, illa ipſa ſunt præſtantiora.* Dicuntur autẽ artes, artib⁹ aliis, præſtantiores, modis, ut Ariſt. docet l. 1. de an. in principio, duobus: *Primò*, reſpectu ἀκριβείας, i.e. exquiſitæ cognitionis, ſubtilitatis, & certitudinis: quomodo Mathematicæ ſcientiæ, quarũ principia ſunt certiſſima & demonſtrabilia, Ethicis & Phyſicis præferuntur. *Secundò*, reſpectu ὑποκειμένου, i.e. ſubjecti & materiæ. Ita Theologia primas inter alias tenet Facultates, quia de Deo, & rebus divinis agit. Addi poteſt mod⁹ *tertius*, nempe reſpectu Cauſſæ Efficientis, autoris, vel eorum,

qui

qui artem aliquam tractarunt. Ita agricultura contemnitur à multis ; cum laudanda potius, & non paucis aliis anteponenda videatur: quia multi sancti viri, multi etiam Reges & Patres, agriculturæ operam dederunt: & Romani Consules ac Dictatores sæpe ab aratro ad Remp. fuére vocati.

48. Quintus decimus Locus: *Quæ à prudentibus, vel omnibus, vel plerisq; vel optimis, judicantur meliora, illa ipsa quoq; meliora, & reliquis anteponenda.* Hoc verò in loco observandum; duobus modis doctorum & prudentum judicium ponderandum esse: vel ἁπλῶς, simpliciter; vel κὴ τὴν φρόνησιν, ut Aristoteles ioquitur, κὴ ἐπιστήμην, secundum prudentiam & scientiam, cui aliquis potissimum est deditus. Verisimile quidem est, omnibus in rebus rectiùs judicare prudentes, quàm imperitos: secundum prudentiam tamen & scientiam, illorum est judicium præferendum, qui in singulis facultatibus sunt occupati, inque iisdem excellunt. Verbi gratia: in lite & controversia forensi, credendum magis doctis, quàm indoctis; prudentibus, quàm imprudentibus; inter doctos tamen &

pru-

prudentes, iterum magis Jurisconſulto, quàm Theologo, vel Medico: quia hi judicant ἁπλῶς, i. e. ſecundum generalẽ quandam juſtitiæ notitiam; ille κατ' τὴν φρόνισιν, i. e. ſecundum exactam Juris, quippe Facultatis ſuæ, ſcientiam. Unde illud: *unicuiq; in ſua arte perito, credendum.* Inquias: quid ſi illi artifices contradictioria ſtatuant? tunc inter ipſos excellentiori fides adhibenda: neque enim quis eſt artifex intelligendus; niſi qui exactam & accuratam omnibusq; numeris abſolutam, artis ſuæ ſcientiam acquiſivit. Sin æquales ſint, inque pari auctoritate conſtituti; utri tunc credendum? judicium eſt ſuſpendendum, & tantiſper conquieſcendum, dum inter ipſos artifices conveniat.

49. Sextus decimus Loc°: *Quæcunq; inſunt rebus præſtantioribus, illa ipſa quoq; ſunt præſtantiora.* Ubi rurſus diſtinctio illa eſt obſervanda; quod *alia* ſint *præſtantiora ſimpliciter, & in ſe ac ſua natura; alia hominum opinione, & judicio.* Ita quæ in Deo ſunt, ſimpliciter ſunt præſtantiora, & præferenda iis, quæ ſunt in hominibus, & quidem, *quia Deus ἁπλῶς eſt bonus & perfectus: contrà:* quæ

ſunt

ſunt in Regib⁹ & Principibus, plerunq; præſtantiora ſunt reliquis, non ſimpliciter; ſed κείσ⁹ hominum. Ita ſi quoddam Principis dictum auditur, quod vel minimum prudentiæ ſpeciem præ ſe ferat, longè habetur præſtantius, quàm ſi multò proferat ſententiam meliorem ac utiliorem ipſe Plato aut Socrates. Sæpè etiam perperam facta cõmendantur; quòd à perſonis conſpicuis ſint patrata.

50. Septimus decimus Locus. *Quæ jucundiora, & majori cũ voluptate ſunt conjuncta, minùs jucundis præferenda.* Jucundiora verò æſtimantur duobus modis: 1. Reſpectu oppoſiti doloris; ſi minori ſc. cũ moleſtia fuerint conjuncta. 2. Reſpectu adjuncti temporis; ſi fuerint diuturniora. Ita ſtudiorũ cultura præferenda eſt rei bellicæ; quia minus eſt moleſtiæ in Academiis, quàm in caſtris. Et anteponendæ ſunt animi voluptates voluptatib⁹ corporis; quia voluptates corporis ſtatim pereunt, & eas ſæpè pœnitentia ſequitur, ac dolor; acceſſu lingũt, diſceſſu pungunt: animi verò voluptates ſunt diuturnæ. Et quamvis aliquando cum difficultate parentur; tamẽ cum tranquillitate poſſidentur.

51. Octavus & decimus Locus. *Quæ homines vel ſibimetipſis, vel liberis, vel amicis ſuis optant,*

optant, illa reliquis præferenda. Ratio, quia quisq; sibi ipsi est proximus, &, ut proverbiũ habet: *Tunica pallio propior est.* Ita vita diuturna opibus est anteponenda; quia prudens quisq; sibi, & suis, hanc magis, quàm opes, optat.

§ 2. Nonus & decimus Locus. *Constantiora sunt fluxis anteponenda.* Ratio: quia eorũ utilitas, propter temporis diuturnitatem, est præstantior: deinde magis respondent nostris votis. Ita secunda fama, nomenq; bonũ, divitiis sunt anteponenda; quia hæ sunt momentaneæ & fluxæ; bona fama etiã durat, cùm jam vespillo nos sibi mancipavit, & omnes nostri corporis artus in pulvisculos sunt redacti. Unde Cicero, non hominis esse, putat, susq; deq; ferre, quid alii de se sentiant, & loquantur. Et alibi ait: maximum, & optimum liberorum patrimonium, bonum esse nomen parentum.

§ 3. Vigesimus Locus. *Quod præstantius etiã hostes nostri æstimãt, id reliquis anteponendũ.* Ratio: quia adversarii & hostes, nõ nisi inviti, & urgente conscientia, veritatẽ proloqui præsumuntur. Ita Scipio Africanus reliquis Imperatoribus est præferendus: quia ipse Hannibal interrogatus, quem Ducẽ post se

judi-

judicaret præstantissimum; Scipionem nominavit. Ita versio Bibliorum nostrorum Germanica reliquis anteponitur: quia testimonium egregium, ab ipsis etiam hostibus, reportavit. Franciscus Dryander, Hispanus, vir doctissimus, sæpè ex animo linguæ Germanicæ cognitionem ideò sibi optavit, ut Germanica Lutheri Biblia, toties à multis excellentibus viris commendata, ipse etiam & lectitare, & intelligere posset. Similiter non dubitavit Erasmus, Pontificius, Luthero aliàs malè volens, adserere: Lutheri enarrationes in S. Biblia, longè omnium enarrationibus, quæ extant, antecellere. Quod verò hostes contra hostes proloquuntur, non multum ponderis habet: quia ex malevolentia prolatum præsumitur. Quò pertinent Cochlæi, Historici Pontificii, relationes de vita & morte Lutheri, mendaciis & calumniis refertissimæ.

54. Primus & vigesimus Locus: *Quibus pœnæ sunt majores constitutæ, illa ipsa majora.* Ut: latrocinium gravius habetur furto; quia graviori supplicio adficitur. Et apud Romanos gravius fuit fœnerari, quàm furari; quia fœnerator quadruplo, fur duplo mul-

ctaba-

Ætabatur. Contrà etiam: *quibus præmia sunt majora proposita, itidem sunt majora.* Istud locum habet in vitiis; hoc in virtutibus.

15. Secundus & vigesimus Locus. *Quæ dividuntur in partes, ipsa majora apparent.* Plurimum enim vel bonorum, vel malorum apparet, in exuperantia sive copia. Ita, ut Homerus Iliados 9. scribit, cùm Meleager, commotus ira, alia nulla ratione impelli potuisset, ut arma caperet, ac salutem suorum defenderet; auxilio hujus Loci uxor ipsi persuasit, ut propter mœrorem jacens excitaretur, nec tempori illi deesset, cùm hostes jam fortunis imminerent, ac vitæ civium mortem præsentaneam minitarentur, ubi futurum, ut filii è sinu matris distraherentur, tecta incenderentur, cives occiderentur, & infamia eos perpetua comitaretur; ac quæ alia mala ibi comminata recensentur. Sensus nimirum Canonis perspicuus est hic: *in quò plures partes aliquid potest distribui, eò majus est.*

56. Tertius & vigesimus Locus. *Circumstantiæ Loci, Temporis, Ætatis, Personæ, Modi, &c. res ipsas majores reddunt.* Ratio: Quia difficiliora judicantur, quæ præter

expectationem, præter tempus, præter ætatem, præter locum fiunt. Ita Cicero, in Philippica secunda, ebrietatem Antonii exaggerat, à circumstantia loci & personæ: quod Antonius, magister equitum, negotium publicum gerens, in cœtu populi Romani, & in tribunali, ebrietatem vomitu prodiderit, tribunal impleverit frustis esculentis. Ita, si quis juvenum adeò suos in potestate habeat adfectus, ut, licet variis adjiciatur irritamentis, & nuda ipsi Thais ante oculos ponatur; tamen animum non contaminet suum: longè majorem ille laudem merebitur, quàm si quis vetulus, ad furta Veneris ineptus, ab ea sibi temperet.

Exemplum insigne nobis suppeditat S. Hieronymus, Tom. I. Operum, in Historia Pauli Eremitæ, p. 90 de juvene quodam, qui nullis suppliciis, nullis torturis, nulla deniq; vi ad peccandum induci poterat. Rem itaque hostes Veritatis aliter adgrediuntur, & hominem illum, juvenili ætate florentem, in amœnissimos hortulos præcipiunt abduci; ibiq; inter candentia lilia ac rubentes rosas, cùm leni murmure aqua-

rum juxtà ſerperet rivus, & molli ſibilo arborum folio ventus præſtringeret, ſerper exſtructum plumis lectum reſupinari jubent: &, ne ſe inde poſſit excutere, blandis ex ſerico nexibus irretitum relinqui. Quò cùm, recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis colla ſtringere complexibus, ut, corpore in libidinem concitato, ſe victrix impudica ſuperinjiceret. Quò ſe conferret juvenis lectiſſimus, neſciebat. Tandem præciſam morſu linguam, in oſculantis ſe faciem exſpuit: ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit. Aderat fortè gibboſum etiam quoddam ſilicernium: quod, cùm iſtum devincire ſibi non poſſet fœmella, propudioſiſſima adoriebatur, ludibrium ſibi hominis imbellis ridiculam, quam ſperabat, jucunditatem factura. Sed & hoc, collecto in vires animo, in fucatam ſeductricis faciem conſpuebat: ſatius eſt, inquiens, ut tu à me conſpuaris, quàm ut ipſe juvenili flagitio in meam ipſius conſpuam ſenectutem. Uter horum palmam reportavit viridiorem? Colligere hoc in proclivi eſt. Conſiderentur circumſtantiæ;

& apparebit : Juvenis factum multis parasangis præcurrere factum senis.

57. Quartus & vigesimus Locus. *Quæ tempore necessario, aut periculoso sunt utiliora, illa reliquis præferenda.* Sic Medici interdum Jurisconsultis præferuntur ; quia in morbis periculosis nobis adsunt. Et pietatis studium cæteris anteponitur, quia necessarium est nobis tum, cùm ex hac mundi fabula nobis est abeundum.

58. Quintus & vigesimus Locus. *Quæ expetuntur propter se, non propter opinionē, aut ostentationem quandam, anteponenda sunt illis, quæ ad opinionem, vel ostentationem referuntur.* Dicuntur verò ad ostentationem illa referri, quæ non aggrederentur homines, si putarent, illa occulta mansura. Ita, in Evangelio, Pharisæorum & Scribarum justitiæ aliorum justitia anteponitur ; quia illa ad meram erat facta ostentationem : & pauperculæ viduæ eleemosyna præfertur donis divitum multorum : quia ex animo erat data ; non ad auram popularem captandam.

59. Sextus & vigesimus Locus: *Quæ esse, quàm videri malunt, illa reliquis præferenda.* Ratio: Quia ejusmodi propiùs ad veritatem accedunt. Ita probitas multis modis præferenda est improbitati: quia probitatem occultare opus non habemus; ad improbitatem verò multo & vario opus est prætextu. Sic etiam amor parentum charitati reliquorum est præferendus; quia naturæ instinctu tales amare cupimus; reliqui videri volunt amici, cùm sæpè

Astutam vapido servent sub pectore vulpem.

60. Septimus & vigesimus Locus. *Ex duob⁹ vel pluribus bonis præferendum illud, quod totum melius reddit.* Hoc nomine virtutes bonis aliis anteponuntur; quia totum hominem meliorem efficiunt; cùm divitiæ, & bona alia pleraque, tantum modò corpori prosint.

61. Octavus & vigesimus Locus. *Quod nobis charum est unicum aut solum, illud præstantius est eo, quod unicum non est, vel minus charum habetur.* Ita Scriptura Sacra Dei in nos ingentem prædicat amorem, quòd Filium suum, eumque unigenitum chariffi-

mumq; pro nobis in mortem tradiderit. Et charior Visus est illis, qui sunt μονόφθαλμοι, quàm qui oculum habent utrumque. Hinc Leges quoq; gravius supplicium illis constituunt, qui oculo unico orbatum excœcare non verentur.

62. Atque hæc est Aristotelis doctrina, explicata, & exemplis variis illustrata, *de possibili ac impossibili, magno ac parvo, sive rerum comparatione:* utilis deliberationibus tum privatis, tum publicis; ut videre est apud Ciceronem, qui, multis in orationibus, hisce locis utitur. Ut in oratione pro Muræna, quæstio est: an Muræna Imperator bellicus Sulpitio Jurisconsulto sit anteponendus. Pro Muræna, argumenta ex his locis sumuntur: quòd plus Reipublicæ Imperatores bellici prosint, quàm Jurisconsulti: quòd major in arte militari, quàm in Jure sit, difficultas. In oratione pro Archia, artes & literæ commendantur, comparatione ex his locis facta: nobiscum, inquit, peregrinantur, rusticantur, pernoctant, delectant domi, non impediunt foris, &c. Ubi diuturna bona ex loco 19. §. 53. & multa, & ea quidem, secundum Aristotelis præceptum,

ceptum, enumeratione, & distributione proposita, ex loco 22. §. 56. reliquis præferuntur.

63. Tædiosa prolixitate hæc proposuimus: sed factum id, ob aliorum perniciosam vel brevitatem, vel negligentiam: qui utilissimam hanc doctrinam sicco pede prætereunt.

APPENDIX.

De Actione & Pronunciatione.

1. ACtio & pronunciatio sunt quasi quædam corporis Eloquentia: quæ sono vocis, & membrorum motu constat.

2. Ita autem pronunciare debemus orationem, atque eos gestus formare, ne ridiculi reddamur: quod Persius, Satyra prima, in sui seculi reprehendit Oratoribus. Artis affectatio nimia minuit gravitatem; minima, vel planè neglecta, prodit rusticitatem.

3. Ut autem mediocritatem, quæ ubique anteà est reputanda, serves: antequam in publicum prodeas, considera; quæ vel elevatio, vel depressio vocis, rei, loco, personis conveniat: ne, quod aliquando ineptuli faciunt, absque ulla caussa, modò Stentoria voce clamites; modò, ut pumilio, pipias.

4. Prout enim res ipsa, quæ est pronuncianda, se habet; prout adhibitæ sunt dicendi figuræ; prout adfectus sunt movendi: ita Oratio erit pronuncianda: ut, qui rem audiunt, eandem videre videantur. Hinc ita Horatius:

Ut ridentibus arrident; ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis, me flere; dolendum est
Primùm ipsi tibi. --- Tristia mœstum
Verba docent: iratum, plena minarum:
ludentem, lasciva: severum, seria dictu.

5. Cavendum autem maximè, ne non tàm *dicere*, quàm *cantillare* videamur; id quod imprudentibus quandoque Concionatoribus accidit; qui omnia adfectatè, &, infra verbi Dei sanctissimi auctoritatem, proferunt: dum voce, modò mulier-

culas,

culas, modò agyrtas & circumforaneos, imitantur.

6. Exordia voce *moderatâ* ſunt inchoanda: quæ in Narratione, & Propoſitione paulatim *adſurgat*. In Confirmatione & Confutatione *concitatiorem* fieri oportet; in Peroratione, omnem ut moveat aculeum, *attollere* ſe fortius debet.

7. In actione *fugienda geſticulatio*: ne funambulum potius, aut morionem, quàm Oratorem, repreſentemus.

8. *Oculi* hîc multùm ad rem faciunt, ſi recto tempore vertantur, attollantur, deprimantur: quæ omnia rectiùs uſu, quàm præceptis, docentur. Semper autem illi *cum manuum geſtu debent conſentire.*

9. Si *manum vertis* verſus dextram; concinnè *oculos vertis* verſus ſiniſtram.

10. Manus etiam, maximè dextra, movetur, niſi oppoſita ſint proferendâ. Ut: *illi ad Orientem poſiti ſunt; iſti ad occidentem. Divertunt illi ad lævam; hi ad dextram.* Tunc enim, pro diverſitate ſitus, modò ſiniſtra, modò dextra, utendum.

11. Utraque etiam manu ſimul utimur: cùm rerum immenſitatem, cùm in-

finitum propè numerum, cùm ſpatia, longè lateque patentia, deſignamus.

12. Diutius manum commovere, quàm rei magnitudo poſcit, futile reputatur.

13. Totum corpus *rarò*, *vel nunquam*, eſt motandum: in cathedra non diſcurrendum; nec caput crebriùs concutiendum; vel labra, more canis hirrientis, contorquenda.

14. Omnia hæc juvenibus, præeunte veterano & exercitato Oratore, diſcenda; qui ipſo actu hæc monſtret; longè utiliùs hac ratione, quàm regularum multitudine, imprimenda, & diſcenda ſedulò: cùm ipſe Demoſthenes primas, ſecundas, tertiasque Oratoris actioni tribuerit; & *ſine ea* Oratio magis ſit *corporis ſceleton*, quàm ipſum corpus. Veteres tantum ei tribuerunt; ut eam à Comœdis & Tragœdis haurire, non gravarentur.

15. Attamen inprimis *verecundiæ & pudoris ſtudium* conſervemus; cujus adeò ſtudioſi erant antiquiſſimi Oratorum, ut, ſi quis forenſia ſtudia auſpicaretur, nefas putaretur, brachium extra togam exſerere: ut refert Seneca, Lib. V. Controv. VI.

16. At nunc eò res rediit; ut, nisi quis plenis & *inflatis* buccis, & *incitatissimo* verborum inconditorum lapsu, agresti, aut etiam *furioso* corporis motu, capitisq; circumactione, sese jactitet, & auditoribus partim risum, partim bilem moveat: in numero disertorum haberi, prorsus non censeatur.

17. Sed eos, cum omni populari turba, missos faciamus, contenti paucis, iisque eruditis bonisque auditoribus. Nam *quis paulò cordatior sese Midæ alicui, auriculis tantùm asininis instructo, aut Bœotorum pueris, adprobare laboret?* inquit eruditissimus Heidmannus, Dissert. Rhetorica XV.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0061-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0062-0

Germanismi falso suspecti.

1: Ad quem finem ab aliquem ludere.
2. Rejicitur in ambiguum statu.
3 Redire ad se.
4 Vult Romam.
5 Fluvii currunt in mare.
6 Sedet bene vestis Quintil:
7 Sedere in sole.
8 Blind ab aliqua incidit.
9 Incidit bellum.
10 Res poscit diligentem hominem.
11 Tempus poscit.
12 Amittere causam, litem. Cic.
13 Amittere vitam, s. animam. Corn: Nep:
14 Vincere bellum. Liv:
15 Devenire domum. Cic: Lib: de Orat:
16 Antevenire aliquem.
17 Convenire in unum locum, ad judicium.
18 Conducere copias, die wolleute zusammen
nehmen.
19 Antecedere aliquem alicui.
20. Accidere alicui aliquid rimam stand
zu glauben. Corn: in Dal:
21 Adjurare alicui rimam zu gestehen. Ter:
22 Circumvittere einen hinter sich. Cas:
23 Praecipere pecuniam. Und geld vorschreiben.
24 Praescribere alicui aliquid. Ter:
25 Accedere ad genua. Ter:
26 Nocet nihil es schadet nicht.

27. Aut scire aut nescire volo.
28. A principio, à pueritia.
29. Mercenary à villa ex Horat. Ter:
30. Ab se facere.
31. De ipsius experitia non amplius mihi hominem credit.
32. Est mihi fides apud illam. Ter:
33. Aliquid valere apud aliquem. Cic: Vil: pag: 481.
34. Prae ira. Ter:
35. Prae gaudio. Ter:
36. Prae lacrymis loqui non posse. Cic:
37. Prae metu.
38. Ante omnia.
39. Ante alios aliquem amare. Virg:
40. Ante oculos esse. Corn:
41 Ante oculos proponere.
42. Ante oculos habere.
43 Ante oculos se offerre.
44. Ante reliq; esse. Ter:
45. Ante manum alicuij esse. Corn:
46. Partiri cũ aliquo.
47. Bienniũ est quod hoc factũ est.
48. Dare alicui libere. Ter:
49. Non est opinor.
50. Non est mirum.

51. Fratrum qui illi erant vel illig erat.
52. Bis tantū pecunias scribere.
53. Albere tanto longior maior.
54. Longius tanto amplius multo ab
funtmare scribere. Cic.
55. Non habebat partem vicesimā militū.
Corn:
56. Hos duo. omnes tres. omnes quatuor.
57. Sicut mos est. &c:
58. Apud Germanos ea consuetudo est.
59. Quod est veritate falsū. Cic: pro Rosc:
60. Hoc eō valet. Corn:
61. Ne minimam quidem partem qui
intellexi. Cic:
62. Tres in longum habet pedes.
63. Uno verbo dic. Ter:
64. Quid est quod me velis Ter:
65. Dolet mihi hoc factū esse. Cic:
66 Dolet hoc cordi meo.
67. Dolet à sole caput. Plin:
68. Dolent ab ictu aures.
69. Sine causa.
70. Sine ulla justa causa.
71. Ventū expectare. Cic.

72. Vendo venire. Ter:
73. Silentio praeterire.
74 Oculos parcere. Ter:
75. Praebere occasionem. Liv:
76 Praebere apud aliquē gratiam. Ter:
77. Invenire gratiam apud aliquem.
78. In tanta fortuna ego so prosperrime gesisse
79. Et mane ad vesperam. Paul:
80. Hodie mane. Cras mane, heri mane
81. Hodie vesperi, cras vesperi, heri vesperi.
82. Necessitas cogit me. Cic:
83. Abstinere cibo et se cibo. Corn:
84. Sub specie utilitatis dum Pthrin.
85. Vide avaritia quid faciat. Ter:
86. Habet speciem ut sub dum Pthrin. Cic: de Offic:
87. Proponere alicui exemplum ad imitandum.
88. Relinquere alicui imaginem ad imitandum. Cic:
89. Quid audio.
90. Unus et alter.
91. Nihil ad illud. Dist nichts dargegen.
92. Ale pleno promere. und Wollen Exempel erfinden.

93. Propositi mihi hoc facere.
94. Reflexi propositi.
95. Haerere in proposito.
96. Manere in proposito.
97. Redire ad propositum.
98. Experire alicui sententiam. Cor:
99. Tenabo habere de aliquo re.
100. Ne longum faciam.
101. Ut se initia dederint.
102. Breviter hoc percurrere my.
103. Eo me libenter ad illam partem, ad quam dies vocandi.
104. Non imprudenter vel imperite facere. Corn:
105. A fundamentis diruere. Corn:
106. Longum est haec enumerare. Cor:
107. Relinquere scriptum. Cor: Hann: c. 8.
108. Portare secum pecuniam magnam. Cor:
109. Hoc tibi affirmo ita fore. Corn:
110 Judicare alicui bellum. Corn:
111 Mori mortem. Corn:
112. In magna paupertate decedere. Corn:
113 Paulatim gradibus ante.
114. Hoc facere nullum diem praetermittit. Corn.
115 Magnam reliquere sui famam. Corn:

116. Cum tempus poscit. Corn:
117. Relinquere scriptum Christi sinistrae impr. Corn:
118. Palam fatetur et. Corn:
119 Ruo satyrine, si possem, ab Acheronte eqi:
ebent Chedimore. Corn:
120. Hoc omnibus mirum videbur. Corn:
121. Sedere sine uno loco. Corn:
122. Ipse pro me dicere non possum. Corn:
123. Recedit, ut si à lassitudine expirat
acquiescat. Corn:
124. Objicere alicui insolentiam. Corn:
125. Loqui graecè. Corn:
126 Ab eo nullam accipio injuriam. Corn:
127 Culpa est in hor. Cic:
128. Loqor ad voluntatem. Cic:
129. Quid in tuis literis desiderarim, scribam quid. Cic:
139 Hodie me [illegible] vidi. Ter: Andr.
140. Quis heri chrysidem habuit? Ter: Andr.
141 Hunc hodie teneri commoda-
tum patrem nunc verbis crede hoc
mihi. Ter: Andr:
142. Ire ad aliquem. Ter.
143. Amittere aliquem è conspectu suo

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0069-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0070-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0071-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0072-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0073-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0074-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0075-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0076-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0077-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0078-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0079-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0080-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0081-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0082-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0083-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0084-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0085-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0086-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0087-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0088-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0089-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0090-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0091-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0092-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0093-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0094-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0095-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0096-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0097-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0098-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0099-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0100-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0101-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0102-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0103-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0104-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0105-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0106-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0107-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0108-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0109-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0110-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0111-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0112-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0113-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0114-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0115-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0116-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0117-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0118-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0119-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0120-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0121-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0122-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0123-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0124-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0125-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0126-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0127-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0128-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0129-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0130-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0131-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0132-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0133-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0134-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0135-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0136-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0137-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0138-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0139-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0140-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0141-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0142-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0143-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0144-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0145-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0146-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0147-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0148-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0149-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0150-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0151-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0152-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0153-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0154-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0155-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0156-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0157-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0158-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0159-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0160-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0161-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0162-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0163-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0164-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0165-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0166-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0167-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0168-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0169-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0170-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0171-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0172-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0173-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0174-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0175-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0176-3

37 14
K, R

AB 37
K 72

ULB Halle 3
006 567 460

KD 77

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0177-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0178-5

o Aristotelica,
ad
OS IN-
NIS RHE-
ICÆ,
umta
nibus publicis,
itate Jenensi
ositis,
c XXXIII.
à
MICHAELE
RO, P. P.

BERGÆ,
GEORGII END;TERI.
C XCIV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-530906-p0179-4